



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

Provincia Mediolanensis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66514](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66514)

# PROVINCIA MEDIOLANENSIS.



Ocij ducenti duodecim. Domicilia septem. Mediolani fere centum. quatuor & triginta inter Professos ad sancti fidelis. duo supra sexaginta in Collegio.

duo & triginta in Aronensi Nouitiatu. triginta in Collegio Genuensi. Augustæ Taurinorum totidem. duodecim inter Vercellenses. par numerus inter Comenses. recepti in Societatem septem decem, Tres dedit Beata Virgo è suo cœtu Brerano. duos Taurinense Collegiũ. vtrumque insignitum laurea iuris scientiæ. alterum etiam in publica Academia professorem. mortui sex.

Ad fidem religionemue  
traducti.

**G**ENUA Turca duo aggregati Ecclesiæ. A socijs Taurinensibus reconciliati sunt Christo hæretici quinque ex his duo in ecœno nati, atque nutriti; Hebrea virgo lustrata fonte baptismi. Alia item insigni pulcrite

zudine perditæ amabatur a viro potenti: pia  
 matrona rem subodorata, eam in domum suã  
 recipit, vt ab imminente periculo liberet: sed  
 cum neque se tutam satis videret aduersus im-  
 potentis amatoris opes; eam clam Mediolanũ  
 amandat, (erat enim in ciuitate proxima) at-  
 que Societati cõmendat. O altitudo sapientiæ,  
 atque scientiæ Dei. alius diuinus amator fe-  
 lices illi tendebat insidias; hominem quasi ve-  
 naticum canem immiserat, vt eam in suos la-  
 queos salutaris impelleret. collocatur in ex-  
 tero tecto honestissimo: docetur de fide Chri-  
 stiana: quam ita auide imbibit, ita constanter  
 amplectitur; vt magis hanc secuta esse, quam  
 fugisse vim appareret. spem proci ostendit  
 legitimi coniugij. quod illa prius cogitauerat  
 quidem, sed ausa non erat sperare, neq; opta-  
 re. quamlibet mouisset longe impar atque ho-  
 nestissima conditio, non tamẽ eam, cui se Chri-  
 stus sponsus ostenderat. summa omnium pr-  
 dinum frequentia atque gratulatione bapti-  
 zatur, Deoque dicat florem illum ætatis, &  
 monasterium dote comparata per nostros in-  
 greditur. E mulieribus, quæ nostrum templũ  
 sacramentorum causa frequentant quatuor-  
 decim nuncium remiserunt huic mundo, &  
 vel Capuccinas, vt vocant, vel alia religiosa  
 instituta complexæ sunt.

Congregationes. Auxilia parata  
proximis.

**B**erana Congregatio secunda celebri pompa, atque apparatu migravit in amplum, nouumque oratorium Arona ad cæteras accessit alia ex indigenis adolescentibus. Genue in triremibus, institutum sodalitium est, quod legem suscepit confitendi singulis mensibus, curandi, vt qui in suo ligno animam efflant, suscipiant ante mortem Ecclesiæ sacramenta, demortui vero suffragia missæ, ac funeris. in que pecuniolam ipsi corradunt ex necessarijs vitæ suæ alimentis. Inde legati duo sunt ad montanos ligures Christianis officijs imbuedos. nouem in pagis institutæ scholæ, in quibus euangelica rudimenta tradantur. vtque sit fructus diuturnior creati ministri, & quasi magistratus operis. Illud Nouocomi, ad legem diuinam promulgandam excogitatū est utiliter. Publico edicto sancitum est, Vt omnes Curiones festis diebus Christianæ doctrine ludum aperiant. Nemo ad Sacramenta, neque ad matrimonium admittatur, quin e concepta quadam formula profiteatur, memoriterque recitet capita fidei salutis necessaria. Eandemque formulam inter festi sacri solemnia. Paroebus audiente populo clara voce pronun-

C 3 ciet.

PROVINCIA  
ciet. stipem emendicauimus, qua in publico  
carcere erectum sacellum, & ara ad faciendā  
rem diuinam, sacramque Eucharistiam admi-  
nistrandam vs, qui neci adiudicati sunt. In  
Taurinis paratum domicilium, portus nau-  
fraganti pudori virginum.

### Insignis virtutis exempla.

**M**ulti leuati peccatis, & aere alieno, quo  
grauabant conscientiam. Fecit Me-  
diolani Sacerdos e nostris, vt quidam aureos  
restitueret quingentos. Multi ad virtutem  
impulsi; vt vnum, aut alterum afferam eorum  
profectus indicium. Iuueni opulento, & ele-  
ganti oblata est ad flagitiosam voluptatem  
virgo, egena, sed elegantior. Ingentibus ma-  
chinis oppugnatur animus. sed ratio ita for-  
titer defendit arcem; vt puellam intactam,  
deductorem obiurgatum dimiserit, statimque  
cum nostro sacerdote egerit de illius integri-  
tate ab his periculis eripienda. Vt detur,  
& suus honos feminis. in simili casu similis  
fuit femina cuiusdam virtus; nisi tamen id-  
circo superior, quoniam sexu erat inferior.  
dolose ab infida comite in suburbanam villam  
recreationis causa deducitur. post multa de-  
seritur sola in cubiculo, in quo erat impurus  
adolescens absconditus. prosilit is ab insidijs.  
fores primum occupat, & claudit. at illa cum  
se vi-

se videt undique muro circumvallatam, & imminere sicarium occisorem gratiæ; Deo plena, est, inquit, operę pretium vt corpus etiam discrimine proprio se tueatur a labe, & animum, culpę præripiat. se proripit à scelestis manibus, & saltu per fenestram deicit. Dominus dux eius fuit, nulla ex parte lesa estuans cuiusdam celestis solati magnitudine, extemplo suum confessarium adit, obsecratque pro se gratias agat Deo, cuius opere erepta esset a tam certa cæde animi, deinde corporis.

### Aedificiorum, & rei familiaris incrementa.

**A**Rona excitatum in templo nostro sacellulum perelegans Deiparę Virgini. Domi vero cubicula aliquot percommoda, iis qui vacaturi sunt meditationibus Societatis. Vercellis in suburbano Collegij erectum nobis ædificium, quod a tectis rusticanis esset seiunctum. Genuæ e veteri D. Ambrosii migratum est in partem noui templi quod dedicatum est nomini IESV Die D. Laurentij, qui patronus Urbis est. Archiepiscopus Centurio presentibus Duce, senatu, maxima nobilium, & plebis frequentia fecit ibi primum sacrum. peracta res est eo apparatu, pompa, letitia, quæ

PROVINCIA

conueniebat, vt ita loquar, tantæ sponse nuptijs. Sacro Vestario. S. Fidelis argentum, atque vestes accesserunt aureorum septingentorum. Vincentius Furnarius nobilis ciuis Genuensis tantam habebat opinionem de virtute Societatis, vt nulla incideret ægritudo animi, aut corporis, nullum negotium difficilius aggrediretur, quin vel coram, vel per nuncium commendari se posceret nostris sacrificijs, & orationibus; nullam tamen habebat nobiscum consuetudinem. & confessario alterius ordinis utebatur. incidit in morbum, quem, vt sensit esse postremum, quasi nos reseruasset in tempus illud, nulli ad se fecit aditum salutandi, aut visitandi gratia, non consanguineis, nõ sorori; vnum accersuit, & perpetuo adhibuit Rectorem Collegij. vnum illum voluit in morbo consolatorem, in morte adiutorem. Decessit cum maxima significatione pietatis. Triennio ante cum nobis erat prope omnino incognitus, secretum testamentum condiderat; resignatum est magna affinium & amicorum expectatione. inuenerunt ab eo Collegium Societatis heredem dictum, atq; sua manu prescriptum his verbis. Admodum Reuerendi Patres ad maximam gloriam Dei, vos ego heredes meos instituo, hanc vnã ob causam: quod militatis sub salutari nomine IESU, vos, obsecro, illum deprecamini vt mihi misero sit IESVS. ac pro mea anima ad Deum opti-

## MEDIOLANENSIS. 41

optimum maximum, nec non ad Deiparam  
Virginem patronam peccantium eas preces  
fundite, quas vestra vobis caritas præscribet.  
quæ vobis relinquo pauca sunt, affectus in-  
gens. & cætera. Dignus plane cui e suis spi-  
ritualibus opibus rependat aliquid quicumq;  
præsentis litteras perlegeret. ne spes eum fal-  
lat, quam de Societatis caritate conceperat:  
sed magnum sentiat se fecisse emolumentum,  
dum nobis nihil singulare præscribit, nihil cer-  
tum a nobis exigit, reque tota fidei Societatis  
permissa nullis conditionibus cum ea tran-  
sigit.

# PROVINCIA VENETA.

Domicilia, Capita, Aduentus R.  
P. Generalis, & aliorum vi-  
rorum Principum.



Tationibus duodecim Prouincia  
Veneta socios omnino trecentos  
cōtinuit, quinquaginia Patavij,  
vnum supra quadraginta Bri-  
xiæ, quinque & triginta Venæ-  
tijs, Triginta Nouellariæ, Quinque & vigin-  
ti Buz